



Stemma Gallæ.



Familia Gallæ Placidæ.



XIV. Quæ apud Nostrum spectantia ad S. Jo-
bannis eccliam, cujus causa τὸν Ἀγιοθεοῦ
agnommentum promeruit, exhibent nonnullas Sacre
Synaxis partes. Hæ autem recensentur; Lectio
Evangelii, & protestatio Cathecumeni ante
Angeli apparitionem, inde canonica verba, cum
supplicationibus, & signo Crucis super Hostiam,
Sanctificatio Corporis Christi, perceptio Corporis
Domini, Calicis per Diaconum Pontifici porrectio,
quam Angelus Diaconi vice præstitit. Hæc omnia
cum cæteris ad veterem Missam spectantibus satis
superque illustravit Vir olim doctissimus, & pius
Cardinalis Bona, illustrare etiam ordinum Edi-
tores Menardus, Pamelius, Thomafus, Mabil-
lonius. Speciale videtur Calicem à Diacono porre-
ctum, ex quo Pontifex Sanguinem Domini sume-
bat, ore quidem, non fistulâ, ut alibi, Romæ
que præsertim; quare Sacerdotes cum Populo
cœperunt timere, & horrere, videntes San-
ctum Calicem à semetipso inclinatum ab ore
Pontificis, & iterum in aëre se super Sanctum
Altare recipi. Micrologus cap. 19. Ipse Pontifex
confirmatur ab Archidiacono in Calice Sancto.
Ita porro etiam respectu Episcopi, Diaconi erat
dispensare Sancta; sicut enim, ait Rabanus lib. 1.
Institut. Cleric. cap. 7., in Sacerdote consecra-
tio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti est.
Ille oblata sanctificat, iste sanctificata dispen-
sat. Quæ de solus Calicis dispensatione, seu di-
stributione accipienda sunt, cum aliunde constat
Episcopum, vel Sacerdotes ministrantes, Corpus
Domini dispensasse. Id in Romana Ecclesia age-
bant Episcopi Papa adfidentes. Cardinalis Bona
laudatus rerum Liturg. lib. 2. cap. 17. num. 8.
rem universam his explicat; Ordo Communionis

A hic erat, ut primò quidem celebrans seipsum
communicaret, deinde Episcopos, si qui ad-
erant, vel Presbyteros simul cum eo Synaxim
agentes, tum Diaconos, Subdiaconos, & Cle-
ricos, Monachos, Diaconissas, & Sacras Vir-
gines, novissimè Populum, adjuvantibus Pre-
sbyteris primùm Viros, deinde Mulieres. Idem
in Calicis distributione servabatur, nisi quòd
Presbyteri per se illum sumebant, Diaconi à
Presbyteris, reliqui à Diaconis, ut ex Ordine
Romano, & ex Græcorum Euchologio con-
stat. Non juvat hic in Græcorum usum inquirere;
in Latina Ecclesia, ut ut distributio panis ita se-
habuerit, uti doctissimus Cardinalis tradit, cerib
Ordines Romani, aliique ferunt Diaconi munus
extitisse ipsum celebrantem Calicem confirmare. In
primo Ordine Romano ab eruditissimo Mabillonio
vulgato hæc habentur n. 20. pag. 14. Qui Ponti-
fex, dum communicaverit de ipsa Sancta,
quam momorderit, ponit in manus Archidia-
coni, dicendo in Calice; Fiat commixtio, &
consecratio Corporis, & Sanguinis Domini no-
stri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam
æternam. Amen Pax tecum. Et cum spiritu
tuo; Et confirmatur ab Archidiacono. Quæ
postrema verba his illustrat laudatus Mabillonius;
in Comment. prævio cap. 8. nn. 11. Deinde in pri-
mo Ordine Pontifex confirmatur ab Archidia-
cono, accipiendo scilicet Sanguinem pro comple-
mento Communionis, uti Micrologus loquitur.
Eadem repetit in notulis Ordini ipsi subjectis; præ-
clarum, adjicit, hoc sanè specimen Communionis
generalis etiam Sacerdotum, & Episcoporum.
At quid ex hoc loco elici possit ad adstruen-
dam Communionem generalem, planè non video,
cum